





F. 5. num. 6.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
SVCCESIONE IN FEVDVM
FILIIS
PER SVBSEQVENS MATRIMONIVM
LEGITIMATIS
HAVD DENEGANDA

1775, 3

4

406 d

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
D O M I N O
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, REL.
EX INCLYTAE FACVLTATIS IVRIDICAE
DECRETO
P R A E S I D E

IOACH. ERDMANN SCHMIDT D.

IVRIS PVBLICI ET FEVDALIS NEC NON HISTORIARVM PRO-
FESSORE PVBLICO ORDINARIO, CONSILIARIO IVSTITIAE
INTIMO SAXO GOTHANO

FAVTORE ET PATRONO SVO PIE COLENDO
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQVENDIS

DIE XIV. IAN. ANNO MDCCCLXXV.

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI
SVBMITTIT

A V C T O R
IO. LVDOVICVS IVSTVS GREINEISEN

WEZLARIENSIS.

I E N A E
EX OFFICINA STRAVSSII.



Handwritten text at the top left of the page, possibly a date or reference number, including a period and some illegible characters.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the upper middle section of the page.

Faint, illegible text in the middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower middle section of the page.

Vertical handwritten text on the right edge of the page, possibly a marginal note or page number.



SERENISSIMO AC CLEMENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

C A R O L O

S. R. I. PRINCIPI REGENTI IN LOEWENSTEIN
WERTHEIM ET SOUVERAINEN SEV INDE-
PENDENTI PRINCIPI DE CHASSE PIERRE,
COMITI IN KOENIGSTEIN, ROCHEFORT,
VIRNENBOVRG. MONTAGU, DYNASTAE
DE EPPSTEIN, MVNZENBERG, BREVBURG,
HERBIMONT, NEVF CHATEAU, ROSEN-
BERG CET. CET.

DOMINO

SVO LONGE CLEMENTISSIMO.

HOC LEVIDENSE SPECIMEN
INDVLGENTISSIMO PRINCIPI
HERCVLI MVSAGETAE

DEVOTISSIMO VENERATIONIS CVLTV
DAT DICAT ATQVE CONSECRAT

ET

AETERNVM PIETATIS

MONVMENTVM

STATVIT

S I M V L Q V E

TAM GRATIOSI AC VENERANDI PRINCIPIS

PERENNI SALVTE AC PROSPERITATE

PIA NVNCVPAT VOTA

EIQVE PRECATVR

OMNIA BONA IN DIESQVE MELIORA

AC LAETIORA

CLEMENTISSIMI PRINCIPIS

DEVOTISSIMVS CVLTOR

AVCTOR.

ILLVSTRISSIMIS ET GRATIOSISSIMIS
COMITIBVS AC DOMINIS
DOMINO
IO. LVDOVIC. VOLRATH

DOMINO
FRIDERICO LVDOVICO

DOMINO
CAROLO FRIDERICO

IN COMMVNIONE REGENTIBVS COMITIBVS
IN LOWENSTEIN WERTHEIM, VIRNENBOVRG,
ROCHEFORT, MONTAGU, LIMBURG, PRIN-
CIPIBVS INDEPENDENTIBVS IN CHASSE PIER-
RE, DYNASTIS IN SCHARFFENECK, BREV-
BERG, HERBIMONT, NEVF CHATEAV
ET CET. CET.

COMITIBVS AC DOMINIS
SVIS GRATIOSISSIMIS

OMNI, NON QVA DEBET SED QVA POTEST
OBSERVANTIA AC PIETATE
DISSERTATIONEM HANC
QVAM INAVGVRALEM VOCANT
TRADIT AC DICAT
HORVM
ILLVSTRISSIMORVM COMITVM
GRATIAE ET CLEMENTIAE
SVpra QVAM DICI POTEST LAVDATISSIMAE
ET INCOMPARABILI
SE SVAQVE STVDIA
COMMENDAT
N O M I N V M
TAM SPLENDIDORVM
DEMISSVS CVLTOR
AVCTOR.

ILLVSTRISSIMIS ET GRATIOSISSIMIS
COMITIBVS AC DOMINIS
D O M I N O

LVDOVICO FRIDERICO
CAROLO EGINHARDO

D O M I N O
GEORGIO ALBRECHT III.
FRATRIBVS

NEC NON
D O M I N O
GEORGIO LVDOVICO

D O M I N O
FRANCISCO
AGNATIS
DM. COMITIBVS

REGENTIBVS IN ERBAC ET BREVBURG.
COMITIBVS AC DOMINIS
SVIS GRATIOSISSIMIS

HOC
EXIGVVM STVDIORVM ACADEMICORVM
SPECIMEN
PIA MENTE OFFERT
CELSISSIMIS COMITIBVS
ET GRATI ANIMI DOCUMENTVM ET INTERPRETEM
ESSE CVPIIT
TOT AC TANTORVM GRATIAE SIGNORVM
ET BENEFICIORVM
IN MAIORES SVOS ET PATREM
FVSE COLLATORVM
PRO QVIBVS
TANTIS MAECENATIBVS
GRATIAS PVBLICE AGIT MAXIMAS
ET CVM EA REFERRI NON POSSINT
GRAT ROGATQVE DEVM
VT
EA LARGA MANV COMPENSET
ET
HOS GENEROSISSIMOS COMITES
OMNI DIV SERVET VITAE PROSPERITATE
HOC OPTAT ET FOVET
SPLENDIDISSIMORVM HORVM
COMITVM
PIVS AC DEMISSVS CVLTOE
AVCTOR.



§. I.



Ad haec vsque tempora, materiam quam ad-
gredior, scil. de legitimatione per subse-
quens matrimonium, a multis in contro-
uersiam esse vocatam, tantumque, quan-
tus vnquam in iure feudali esse potest, fuis-
se Doctorem dissentum, iam dudum no-
ui. Operae igitur pretium esse duxi, pro
viribus meis eam quae mihi statim vera videbatur, diligen-
tius inuestigare sententiam. Non nego, me quasdam, sed
non tantas, quae me ad contrariam conuolare sententiam
commouere poterant, inuenisse difficultates. Nihilominus
contrariam sententiam longe maiores excipiunt. Leges Ger-
manorum antiquae vnice de consuetudinibus eorum feudali-
bus testantur. Ex iis igitur argumenta esse desumenda qui-
libet mecum conueniet, et fac, eas consuetudines cum quo-
dam iure peregrino conspirare ea propter non erunt reiicien-
dae, et cum recentiores superiorum seculorum Doctores ni-
mii erga

A



mihi erga iura peregrina amoris arguant, isti contra hodie nimii erga ista iura odii incusari possunt. Quidam enim dantur, qui quod paululum ius Romanum et canonicum sapit e iuribus germanicis remouendum volunt, quamuis a multis seculis factum sit iuris germanici, non considerantes, nos si quod iuris romani et canonici sit reuicere uellemus, omne quoque quod Germani fortasse ab aliis nationibus receperint abiiciamus, necesse esse. Meam igitur antiquissimis temporibus a Germanis sententiam esse receptam demonstrare sufficies.

§. II.

Si auctoritatibus disputare fas sit, et decisio controuersiae alicuius ab opinionibus Doctorum pendeat, certissime plures partes nostras esse amplexuros auguro. Numerum ingenitem nostrae sententiae fauentium inueni. A Baldi aetate usque ad initium huius seculi pauci a communi recesserunt opinione, eamque in Camera imperiali esse receptam testes sunt MYSINGER *a)* et GAIL *b)* in omnibus uero rebus Europae eam esse praeceos testis est MYLER ab-EHRENBACH *c)* Omnino uero fatendum est, plurimos eam sententiam, non nisi auctoritate aliorum commotos adprobasse. Hoc statim apparebit, ubi scriptis eorum euolutis sententiam suam non nisi numero Doctorum, qui ibi allegantur, corroborare uidentur. Ne nimium digrediar, principes tantum horum Ictorum, quos secutus sum nominabo. In his numerari possunt duces feudistarum HENRICVS A ROSENTHAL *d)* LV-DOLPH SCHRADER *e)* HARTMANN PISTORIVS *f)* BENED. CARPZOV *g)* PAUL. CHRISTINAEVS *h)* GEORG ADAM STRVVIUS *i)* HENRICVS DE COCCII *k)* SAMVEL STRIKVS *l)* eiusque Filius *m)* alique quorum numerum fere incredibilem maximo ut alias solet studio HENRIC. A ROSENTHAL congestit, adeo ut quis mihi magna videatur esse patientia, qui eiusmodi allegationes legendo ad finem perducere possit. Recentiorum qui istorum, quos recensui sententiam

tentiam amplexi sunt numero adscribi possunt IVST. HENN. BOEHMER *u)* SAMVEL DE COCCEII *o)* AVG. LEYSER *p)* CARL. HENR. MOELLER *q)* TORNOVIUS *r)* IOANN. FRIDEM. SCHNEIDER *s)* GEORG. LVDW. BOEHMER. *t)* Seculi decimi sexti et septimi Doctores, solis iuris romani principis imbuti, ex hoc varias iuris feudalis doctrinas explicare studebant, non curantes, an veteres nondum introducto iure romano eadem receperint nec ne. Argumenta igitur satis incongrua istos Doctores a liberto ad vasallum, ab operis rusticis ad servitium equestria, ab emphyteusi ad feudum, ab exheredatione ad feloniam formasse abunde ubique constat. Eam ob causam recentiore aetate multis iuris feudalis materiis ab istis iuris romani et canonici principis vindicatis, nonnulli sententiam quoque per subsequens matrimonium legitimatos successione feudalis esse capaces eo pertinere, ideoque in totum abiiciendam putarunt. Hunc in numerum nonnulli magni nominis veniunt viri sequentes. REGNERVS BACHOV *v)* HERMANN VVLTEIVS *x)* CASPAR BITSCHIVS *y)* et IO. SCHILTERVS. *z)* Hos sequebantur HENR. CHRIST. DE SENKENBERG *aa)* IOAN. IACOB. MOSER *bb)* FR. ESAI. PVFFENDORF *cc)* IOAN. GÖTTER. BAVER *dd)* AYRER *ee)* VLTRICH DE CRAMER *ff)* et praecipue celebrer. IOAN. CARL. HEINR. DREYER. *gg)* Cum viri supra recensiti principia iuris romani et canonici vnice in hac re decidenda adhererent, hi contra, ex antiquitatibus germanicis et iuribus antiquis decisionem petendam esse putarunt, in quoniam a recta decidendi via declinasse mihi videntur.

a) Cent. V. Obseruat. XLII. n. 2.

b) Lib. II. Obseruat. CXXI. n. 2.

c) in Gamalog. princip. imper. cap. 24. §. 2.

d) tract. et synops. tot. iur. feud. cap. VII. concl. 18.

e) tract. feud. part. 7. cap. 5. n. 21. vbi eiusmodi filios indistincte admittit.

f) part. 2. quaest. 41. n. 1.

g) part. 3. conf. 28. def. 17. sed a sua sententia recessit iterum in differ. feud. disp. 5. th. 31. vbi tantum paucissima verba facit.



- b)* Decif. cur. Belg. in consuet. feudal. Vol. 6. decif. 41. n. 13.
 Late hac in materia disserit, sed parum concinne et admodum
 confuse.
- i)* Syntagm. iur. feudal. Cap. 9. §. 3. n. 13. Pauca tamen adfert.
- k)* Hyp. iur. feudal. tit. 10. §. 6.
- l)* in tract. de succes. ab intest. Diss. I. cap. 3. §. 27. et 28. Breui-
 ter rem iterum tractat. in vsu mod. lib. I. tit. VI. §. 9.
- m)* de liber. nat. princip. cap. 4. n. 58.
- n)* Resp. tom. I. p. 2. resp. 74.
- o)* In iure controuerf. lib. I. tit. VI. quæst. 17.
- p)* Spec. 298. med. 8.
- q)* in vsu pract. distinct. feudal. p. 314.
- r)* de feudis Meklenburg. C. 2. sect. 2. §. 27.
- s)* in pecul. dissert. de successione legitimator. in feuda.
- t)* in compend. iur. feud. §. 123.
- v)* in not. ad Treutler. Vol. I. disp. 2. thes. 6. lit. f.
- x)* iurispr. feudal. l. 1. c. 23. n. 2.
- y)* in Commentar. ad ius Longobard. ad II. F. 26.
- z)* in Commentar. ad ius feudale Alemann.
- aa)* in primis lineis iur. feud. p. 2. c. 11. §. 306.
- bb)* im deutschen Staatsrecht p. 3. c. 3. § 5.
- cc)* obseruat. iur. vniuers. tom. I. obs. 91.
- dd)* in dissert. de successione legitimator. in feudis exule.
- ee)* Program. de success. legitimat. in feudis exule.
- ff)* de iuribus et priuilegiis nobilium auitae cap. 4.
- gg)* in den Nebenstunden p. 260.

§. III.

Antiquiore aetate Romanis modus ordinarius filios ille-
 gitimos in patriam redigendi potestatem erat incognitus.
 Hoc vero non obstat, quo minus id per arrogationem po-
 tuisse fieri dicamus, qui modus omnino extraordinarius vo-
 candus est. Filius enim illegitimus tam patri quam eius fa-
 miliae reputabatur extraneus, nullaeque patriae obnoxius
 potestati homo sui iuris credebatur. Praemia τῆς πολυπραγίας
 Romanos inducebant, omnibus viribus familiam suam auge-
 re et propagare, sed huic saepius natura repugnante ad alios
 conuolabant modos. Exinde adoptio, qua homo alieni iuris
 et arrogatio, qua homo sui iuris in alterius patriam potesta-
 tem

tem ac familiam transibat. Cum igitur legitimatio adhuc esset incognita et filius illegitimus extraneus intuitu patris crederetur, nil obstat, quo minus pater filium suum naturalem eodem modo quo alios homines sui iuris arrogare et per hanc arrogationem eum omnium iurium familiae et nominis paterni participem reddere potuisset. Eam vero legitimatorem multa sequebantur incommoda, et cum in comitiis auctoritate pontificum ipsisque hominibus arrogandis auctoribus fieri deberet, saepius talis arrogatio procedere non poterat. Hanc arrogationem non ita fuisse frequentem ex eo conici potest, quia historia fere nulla prodidit exempla. Coniecturae quoque sunt, quae hac in re a me proponuntur. Principes nonnunquam extra ordinem legitime testatur Liuius lib. XXXVIII. cap. XXXVI. et ex leg. 57. D. de ritu nupt. filios ex nuptiis incestuosos a principe legitimos esse declaratos apparet. Vllum vero modum ordinarium ad tempora vsque Constantini M. fuisse proditum nullibi legimus. Constantinus M. sacra religionis Christianae amplexus, cuncubinatum tunc temporis Romanis gratissimum et valde vsitatum religionis christianae principis contrarium credebat. Saepius igitur concubinatus extirpandi consilia quaerens, non melius remedium quam legitimatorem per subsequens matrimonium sibi adhibendum credebat. Multi enim patres tales concubinas habentes filios ex iis genitos in patriam redigere potestatem optabant, sed cum nullus modus ordinarius esset cognitus, aliasque magnas difficultates secum gereret saepius eo impediabantur. Constantinus igitur constitutionem promulgabat, cuius mentionem facit imperator Zeno in l. 5. C. de nar. liber. et Iustinianus in Nouel. 39. vi cuius constituebat, omnes, qui concubinas suas in verum ducturi essent matrimonium, eo ipso filios naturales ex ipsis procreatos in patriam potestatem redacturos eosque filios omnia familiae iura esse obtenturos. Tantum abest vt eo concubinatum promouere studuerit, vt potius eum delere et vt iam dixi penitus extirpare tentaue-



rit, quam ob rem istam constitutionem non liberis futuris, sed eo tempore existentibus prodesse iubebat, id quod imperator Zeno in l. 7. C. de natur. liber. claris verbis repetendo confirmabat. Anastasius in leg. seq. h. t. illam legitimationem ad filios in posterum procreandos extendit, ita dicens: *in posterum nihilominus quoque huiusmodi mulierem uxoris loco dotalibus instrumentis confectis habuerint pro eius sobole similem eandemque formam custodiri iubemus.* Omnium vero largissimus fuit Iustinianus, qui eiusmodi matrimonium cum concubina contractum in omnibus tanquam verum matrimonium a tempore natiuitatis filij legitimi quasi initum aestumari iubebat. Hoc legitimationis genus non in Oriente sed quoque in Occidente innotuit et nostris maioribus Germanis, ante receptionem iuris romani iam cognitum fuit. Praeter hunc, adhuc alios modos legitimandi imperatores inueniebant. Ad hos referri potest legitimatio per oblationem curiae. Hanc legitimationem priori longe inferiorem fuisse certum est, sed quae qualisque fuerit non adeo liquidum est. Cum non omnia iura familiae, sed tantum successorem paternam tribueret et alias multa haberet incommoda non longam tulisse aetatem praesumi potest, quamuis imperator in l. 9. C. de natural. liberis et in Nouell. 79. cap. 2. eius adhuc mentionem faciat. Anastasius legitimationem per arrogationem in leg. 6. C. de natural. liber. cui per legem sequentem maior lux accedit produxisse videtur quamuis non nouum sed potius antiquum modum per arrogationem legitimandi renouasse mihi videatur. Iustinianus legitimationem per subsequens matrimonium tanto fauore prosequens adhuc aliam addebat. Haec erat legitimatio per rescriptum principis, tantos vero effectus minime producens et in subsidium tantum a Iustiniano inuenta. Huius sedes est in Nou. 89. c. 9. vbi supponitur legitimationem per subsequens matrimonium fieri non posse, aut quod concubina facta suprema subierit, aut studio se abfcondat, et quae sunt aliae causae, quae ibi recensentur.

Hjs

His igitur impedimentis existentibus ad benignitatem principis conuolare, qui filios illegitimos declaret legitimos conceditur. Vnicus adhuc legitimandi per testamentum modus restare videtur (a). Hunc propriam legitimationis speciem esse multi sibi persuadent. Miror horum numero deprehendi Heineccium (b) et quomodo THOMASIVS (c) contendere potuerit IVSTINIANVM per eum modum omnes legitimandi modos destruxisse, comprehendere non possum. Materia sedet in Nouel 24. c. 2. et Nou. 89. c. 10. in quibus imperator constituit voluntatem patris qui concubinam suam in matrimonium ducere impeditus fuerat, moriens vero in testamento declarauerat velle sibi eos filios esse successores legitimos, ratam habendam esse, istos vero filios, testamentum patris ostendendo principem eos esse legitimatum. Idem repetit in Nou. 89. c. 10. Haec legitimatio non alia est, quam ea per rescriptum principis, nisi in eo sublit differentia, quod pater reuera ipse, hoc vero casu eius filii preces ad principem mittere debeant.

a) l. 9. C. de natur. liber.

b) antiquit. rom. lib. I. tit. X. §. 24.

c) in dissert de vsu pratico doctrinae insitu. de legitimat.

§. IV.

Apud gentes fere omnes antiquas concubinatum in vsu fuisse negari nequit, et praesertim apud Graecos patet ex inprimis ex Demosthene. Eam ab ista natione ad ROMANOS peruenisse mihi verisimile videtur. Imperatores ethnici ei maxime fauebant, vsque dum CONSTANTINVS M. eum paullatim abrogare studuisse videtur. In leg. vii. C. de concubin. prohibet quidem constante matrimonio vllam habere concubinam, et sic inde eam soluto matrimonio habere permisisse videtur, sed l. i. C. de nat. liber qua illustres aliosque viros spectabiles concubinas ducere prohibet, nec non legitimatio per subsequens matrimonium,

nium, vt iam supra monui contrarium demonstrant. Successores CONSTANTINI concubinatui magis fauebant, quae de re IUSTINIANVS perspicuum praebuit exemplum, Post IUSTINIANI mortem concubinatum fuisse prohibitum nulli legimus. Quin ecclesiam eam adprobasse docet concilium TOLETANVM primum seculo vergente quarto habitum in c. 17. *Si quis habens uxorem fidelis concubinam habeat non communicet. Caeterum is, qui non habet uxorem et pro uxore concubinam a communione non repellatur, tamen vt vnus uxoris aut concubinae (vt ei placuerit) sit coniunctione contentus.* Haec verba in ius Canonicum translata sunt, c. 4. dist. 34. Dec. Grat. eorum vero sensum obscurum reddidit. Post haec tempora concubinatus in nullo alio concilio damnatus fuit ad secul. XVI. vsque. STRICKIUS (a) quidem putat, in quibusdam tantum locis eum fuisse toleratum ad GONZALEZ TELLEZ (b) prouocans. Is vero huius rei nullam facit fidem. In regionibus orientalibus LEO philosophus, secul. IX. imperator ei finem imposuit. Hoc nos docet Nou. 91. ab isto imperatore promulgata, in qua eum tanquam religionis christianae principis contrarium damnat. Cum vero nouellae LEONIS in terris occidentalibus nunquam auctoritatem habuerint, haec quoque prohibitio ad eas non spectauit, et nationibus germanicis in maiore adhuc fuisse vsu tam multae testantur leges antiquae, vt hac de re nemo dubitare possit. Huc pertinet Capit. CAROLI M. et LVDOVICI pii (c) et praesertim FRANCIS ET LONGOBARDIS vsitatum fuisse docent eorum leges antiquae veteresque scriptores. Primos FRANCORVM reges filios ex iis concubinis natos legitimis aequiparasse testis est GREGOR. TVRONENSIS (d) cum praetermissis foeminarum generibus ii regis vocarentur liberi, qui de regibus erant procreati; quae ipsa sunt GREGORII verba. Quin filios naturales ne vlla quidem laborasse macula ipse fatetur BAVERVS (e) et luculenter patet ex glossario CAR. du FRESNE (f) vbi exemplum filios illustrium naturales sibi ipsi

ipsis cognomen bastardi dedisse (*Ego GUILIELMVS cognomento bastardus*) profert. Eos in regnis paternis successisse adsunt exempla CAROLI MARTELLI ET ARNVLPHI aliorumque filiorum naturalium regum FRANCORVM primae stirpis. Aetate adhuc FRIDERICI II. imperatoris filii eius naturales ENTIVS, MANFRETVS ET FRIDERICVS regna et ducatus obtinebant (g). Ex quibus satis apparet, filios illegitimos ne legitimatos quidem successionis fuisse capaces. Praefertim concubinatui fauebant clerici, utpote qui ab vxoribus legitimis ducendis prohibiti, frequentissime concubinas solebant ducere. Hoc iterum ex glossario CAROLI DU FRESNE (h) videri potest, qui chartam aliquam LVDOVICI VI. producit, vbi presbyteri, diaconi, subdiaconi prohibentur habere concubinas, ceteris vero clericis eas habere permittitur. Huc quoque pertinet grauamen nationis Germanicae relatum a SCHILTERO. (i) LAICIS quoque valde vsitatum fuisse docent filii legitimatedi vulgo Mantelfinder dicti, quorum plurima medio aeuo occurrunt exempla. Primam vero prohibitionem nobis exhibet concilium Lateranense secul. XVI. a PAPA LEONE X. habitum, in quo PAPA CLERICIS concubinatum interdicit. Id a pontifice factum esse ne laici nimia de lasciuia clericorum conquerantur, bene coniiicit THOMASIVS l. c. Haec prohibitio postea ad omnes in vniuersa Germania degentes fuit extensa in reform. polit. de anno 1548. tit. von leichtfertiger Weiswuhung. Postea concilium Tridentinum idem sanciuit, quod et repetitum fuit in ord. polit. de anno 1577. Hodie igitur concubinatus in delictum incidit et pro scortatione habetur. Ex eo quoque tempore distinctio in filios naturales et spurios cessauit.

a) in V. M. tit. de concubinis.

b) in coment. ad tit. X. de cohabit. clericor. c. 6.

c) l. 6. c. 230. apud Baluz. tom. I. p. 962. et lib. 7. c. 59. 60. et 105. tom. I. p. 1039. aliaque plura loca.

d) hist. lib. V. c. 21.

B


e) l. c.



- e) I. c. §. 4.
 f) tom. I. p. 502.
 g) MATHEVS Paris. p. 467.
 h) in gloss. voce concubina.
 i) de libertat. eccles. Germ. l. 7. c. 2.

§. V.

Omnes iuris feudalis Doctores statuunt in decidenda quadam iuris feudalis controuersia primo obseruanda esse iura specialissima, quae contractu feudali constituuntur inter Dominum et vassallum inito. Eum inicum esse probant litterae inuestiturae. Ante omnia igitur litterae inuestiturae inspiciendae sunt. Si hae nil, quod controuersiam decidere potest, continent, ad consuetudines in hac vel illa curia existentes, et ab his ad ius feudale prouinciale seu quod in prouincia obtinet, recurrendum erit. A iure prouinciali progrediendum est ad ius feudale Germaniae generale. Id erit vel scriptum vel non scriptum. Hoc consuetudines ab antiquissimis temporibus receptas et vsu semper seruatas, illud ea quae in recessibus imperii aliisque legibus imperii generalibus de feudis constituta sunt, continet. Hoc iure Germaniae generali nil decedente, iura peregrina in subsidium veniunt. Ea sunt ius Longobardicum, ius Canonicum et Iustinianicum. In rebus feudilibus ius Longobardicum caeteris praeferrri debere inter omnes constat. Vltimo loco ad ius Iustinianicum vel Canonicum recurrendum est. Sic H. F. I. dicitur: *Legum romanarum non est vili auctoritas, sed non adeo vim suam extendunt ut vsum vincant aut mores, strenuus autem legis peritus sicubi casus emesserit, qui consuetudine feudi non sit comprehensus, absque calumnia uti poterit lege scripta.* In quibus vero materiis ius canonicum anteponimus iuri romano, praesertim vero illud anteponimus in causis matrimonialibus, in iisdem quoque ius canonicum in materiis res feudales concernentibus praeferramus, necesse erit. Secundum
 haec



haec iura recensita sententiam meam legitimatos per subsequens matrimonium in feuda succedere, defendere studebo.

§. VI.

Primo igitur erui debet, an ex litteris inuestiturae appareat, voluntatem domini fuisse eiusmodi liberos a successione excludendi. Sed num ex verbis litteris inuestiturae vt plurimum inferis: *Beseihen ihn und seine ehelich gebohrne Leibes und LebensErben* ea domini voluntas conici queat, quaeri solet. Multi haec verba stricte interpretantur, illisque liberos, qui ex matrimonio legitime inito nati sunt, intelligi putant. Alii contra in quibus numerari possunt ROSENTHAL *a*) SCHRADER *b*) STRUVIUS *c*) SCHNEIDER *d*) et STRYKIVS *e*) aliique his verbis quoque legitimatos per subsequens matrimonium comprehendi defendunt. Sane ridiculum est quod FRANC. CVRTIVS *f*) statuit, nempe distinguendum esse inter feudum quod filiis legitimis et feudum quod legitime natis concessum sit. In illud legitimatos per subsequens matrimonium succedere putat, in hoc vero minime. Ex mea sententia non perspicio, cur his verbis tantum liberi ex matrimonio legitime inito, intelligi debeant. Litterae inuestiturae praecipue ex vsu loquendi sunt diiudicandae et secundum istum earum explicatio instituenda. Quodsi vero legitimatorum per subsequens matrimonium in scriptis sit mentio, non legitimati, sed in matrimonio legitimo nati ubique vocantur. Hoc vero omnes fere tam antiquiores, quam recentiores Doctores testantur. Sic CARPZOVIVS *g*) nobis fidem facit iis filiis in litteris natalicis testimonium dari, *dass sie von eheligen, frommen Eltern und aus einen rechten ehelichen unbestekten ungetadelten Ehebette herkommen und gebohren*, SCHVRFIVS scribit, *quod liberi legitimati per subsequens matrimonium sub legitime natorum appellatione intelligantur in quacunq; dispositione, sive iuris communis sive municipalis, sive in statutis, sive in feudatibus, sive in simplicibus,*



sive in simultaneis inuestituris, sive in contractibus, sive in ultimis voluntatibus, sive in materia favorabili sive odiosa b). Cum igitur ex usu loquendi legitime nati vocentur, dominum quoque in litteris inuestiturae si de legitime natis loquitur, ab usu loquendi non recessisse et sub legitime natis legitimatos per subsequens matrimonium intellexisse praesumendum est, nisi exiter interpretatio authentica sub iis verbis tales non intelligi debere, qualem e. g. inuenimus in terris HASSIACIS^{d)}. Quid quod, si qui per subsequens matrimonium legitimantur, ideo a successione feudali excludendi sunt, cur nec illi, quia ante matrimonium concepti sunt, a feudi successione excludantur: quum tamen parentes propter anticipatum concubitum puniantur, adeoque liberi vitiose concepti videantur, neque tamen illos sub vocabulo: *der ehelich Geböhrnen* in litteris inuestiturae non intelligi facile quisquam statuerit.

a) de feud. cap. 7. concl. 18. n. 4.

b) part. 7. c. 5. n. 21.

c) Syntag. iur. feud. Cap. IX. §. 3.

d) in allegat. disert. §. 22.

e) in tract. de success. ab intest. C. 3. §. 27.

f) de feud. P. 2. memb. 2. n. 41.

g) in iurispr. forens. p. 2. Const. 6. def. 15.

h) Part. 2. Confil. 24.

i) In der Hessischen Landesord. C. 24. §. 5. p. 486.

§. VII.

A litteris inuestiturae ad ius feudale prouinciale progredimur. Hic tantum eorum iurium, quae filios per subsequens matrimonium legitimatos a successione feudali excludunt, mentionem fieri sufficit. In aliis enim prouinciis, quarum leges nil de eiusmodi filiorum successione sanciunt, secundum ius feudale generale pronuntiandum erit. In multis vero prouinciis successione feudalis incapaces declarantur, eoque testimonium MYLERI ab EHRENBACH^{f)} supra adductum eiusmodi filios in omnibus Europae regnis in feuda succedere, aperte refutatur. Sic iam anno 1593. in terris Brunsvicensi-

censibus ab Henrico duce Brunsv. et Lüneb. postul. episcop.
 Halberst. constitutione quadam, quae existat in ord. Calen-
 berg. provinciali. a) ii liberi a successione feudali exclusi sunt.
 Haec constitutio ao. 1601. in recessu Gandersheimensi repetita
 et confirmata fuit b). Verba quae in hoc recessu huc spectant
 sic se habent: Zum ein und dreißigsten ist der gnädige Landes-
 fürst erbötig wegen der Mantel und per subsequens matrimo-
 nium legitimirten Kindern über oberwehnte von seiner F. G.
 publicirten Constitut nicht allein zu halten, sondern auch diesel-
 be Kinder oder einige spurios zu neuen, sonderlich adelichen Le-
 hen keinesweges zu lassen. In Pomerania idem cautum esse
 inuenimus. Hoc docet recessus ab ao. 1633. in quo verba
 leguntur: Es sollen auch alle in unehelicher Beivohnung er-
 zeugte Kinder, wenn sie gleich durch die erfolgte Ehe oder Fürstl.
 Rescripte legitimirer worden von der Lebensfolge ausgeschlossen
 seyn. Qui recessus saepius repetitus et confirmatus fuit. c)
 In ducatu Magdeburgico itidem a successione feudali exclu-
 duntur, id quod exhibet eius ducatus ordo politiae d). Ob
 wir wohl denen von der Ritterschaft und andern unsern Leben-
 leiten die Ehe mit den Personen, mit welchen sie vor der Ehe
 Kinder gezeuget nicht verbieten, so sollen doch dieselbe ohne
 unsre sonderbare Begnadigung der Succession in altväterlicher
 Lehen nicht fähig, sondern daran ausgeschlossen seyn. In mar-
 chia Brandenburgica FRIDERICVS WILHELMVS edictum
 speciale hanc controuersiam decidens promulgandum cura-
 ruit mens. Decemb. 1687. e) In hoc verba leguntur:
 Als verordnen Wir aus gutem Wohlbedacht hiermit und
 Krafft dieses, daß hinführo in den Neumärkischen Landen keine
 legitimati per subsequens matrimonium succediren sollen. Cor-
 pus Fridericianum Marchicum f) eadem repetit, id quod
 quoque in feudis regni Borussiae iuris esset constat g). Si-
 miles in terris Hassiacis leges, eos liberos a successione feuda-
 li arcentes, prodirae sunt. Legimus enim in ordine provin-
 ciali Hassiaco verba: Und sollen demnach Krafft dieser unserer
 Constitution, in denen von uns und unserer Fürstenthümer,

Graf und Herrschaften herrührende adeliche RitterLehen allein die ehelich erzeugte und nicht außer der Ehe auf die Welt gebohrne Kinder, ob sie gleich per subsequens matrimonium legitimirt wurden, der Lehen fähig seyn. A successione feudorum Bohemiae tam legitimated per subsequens matrimonium, quam per rescriptum principis excluduntur. Hoc conflictit Imperator FERDINANDVS III. ita dicens a): Sollen die außser der Ehe gebohrne Kinder, sie werden gleich per subsequens matrimonium, oder von dem Könige in Böhmen oder sonst legitimiret, der Besiz und Erbung der Landgüter allerdings unfähig seyn. In terris Schaumburgicis idem sancitum est, vbi vero agnati iis liberis alio modo satisfacere tenentur. Ita legimus in ordine politicae. k) Obwohl die per subsequens matrimonium legitimirte Kinder nach gemeinen Schluß der Rechtsgelehrten in die Erb und Lehngütern succediren, so wollen wir doch hinführo solche Mantelkinder nicht belehnen, sondern sie sollen von den Agnaten der Gefahr aus dem Lehn abgefunden werden. In Saxonia electorali quoque exstat constitutio ab electore MAVRITIO emissa l) quae eiusmodi filios successionis feudalis incapaces declarat. Hanc vero in praxi non seruari testantur fere omnes iuris Saxonici Doctores, vt pote HARTM. PISTORIUS m) CARPZOVIUS n) FINCKELTHAVS o) RICHTER p) HOMMEL q) qui tamen constitutionis MAVRITII contrariae ab electore Augusto promulgatae meminit, vnde praxin Saxoniam contra legem apertam non esse apparet. Hae sunt prouinciae in quibus ii liberi a successione feudali arcentur in plurimis reliquis aut fere omnibus nil sancitum legimus, ideoque in iis ius feudale generale obtinet.

a) c. I. §. 4.

b) in konst. prou. Calenb. P. IV. cap. VIII. n. I. p. 32. Augustin. LEYSER de feud. Brunsvic. et Luneb. p. 71. Dn. de SELCHOW Anfangsgründe des Braunschweigischen Lüneburgischen Privatrechts p. 233.

c) SCHWEDER Anmerkungen über die Hinterpommerschen Lehnsconstitutio

constitutionen p. 90. ORLICH'S pressa responsione ad quaestiones aliquot perplexas.

- d) C. 44. §. 14. in MYLII corp. const. Magdeb. T. IV. p. 208.
 e) IOA. BENED. SCHARTAV. in different. iur. ciuil. et Marchici p. 137. LIPPISCH in spec. iur. March. hodierni priuati.
 f) P. I. lib. I. Tit. 9. art. 1.
 g) Landrecht des Königreichs Preussens lib. 2. tit. 5. §. 1.
 h) C. 24. §. 5. p. 486. de CRAMER Wezlarische Nebenstunden P. 21. p. 63.
 i) In Erklärung der Böhmischen Landesordnung art. 20.
 k) C. 6. p. 52.
 l) de ao. 1540. sub titulo von denen aus der Ritterschaft welche Kinder außershalb der Ehe erzeugen. In codice Augusteo tom. 1. p. 19. HARTM. PISTORIVS P. 2. quaest. 41.
 m) loc. alleg.
 n) Iurispr. forens. P. 3. cap. 28. def. 17.
 o) in controu. feud. D. VI. cent. 6. n. 20.
 p) de Success. ab intest. Lect. I. m. 2. n. 9.
 q) in elector. Aug. Saxon. legislat. p. 42.

§. VIII.

In quibus igitur prouinciis nil legibus hac de re cautum est, ex iure feudali generali erui debet, an ii liberi ad successionem feudorum sunt admittendi. Hoc ius generale vel scriptum est, vel non scriptum (§. VI.). In illo plane nil inuenimus quod ad nostram spectet materiam. Ad ius igitur non scriptum refugiamus necesse est. Hoc constituitur consuetudinibus feudalibus ab antiquis Germanis semper obseruatis. Sed vnde hae consuetudines eruendae sunt? Omnes fere iuris feudalis Doctores, vtrumque speculum tam Saxonicum quam Sueuicum et compilationes consuetudinum feudalium, quae sub nomine iuris feudalis Saxonici et Alemannici veniunt, eas exhibere tradunt. Istorum Speculorum iurisque feudalis Saxonici et Alemannici auctores consuetudines sua aetate existentes colligebant, id quod docet rythmus in praefatione specul. Saxon.

Wir



Wir habens selber nicht erdacht
Sondern auf uns bracht.
Unsere Vorfahren.

Omnino igitur statuere possumus vtrumque speculatorem consuetudinum eo tempore existentium esse testem satis idoneum et certum ^{a)}. Qui igitur sententiam quamdam reicit eo quod consuetudinibus veterum Germanorum non congruat, et contra hos speculatores insurgit, ille probare debet consuetudines alias, quam quae in his compilationibus reperiuntur, floruisse. Si ergo qui sententiam fouent, legitimos in feuda non succedere, idque vnice ex consuetudinibus Germanorum, et sic quoque ex speculo Saxónico et Sueuico deducere student, Germanos eam consuetudinem, qua filios per subsequens matrimonium ad talem successionem non admittebant, habuisse, probare debent, id quod vero a nullo factum esse inuenimus. Potius consuetudines, quae meam sententiam confirmant, Germanos habuisse, easque semper cum principiis iuris Canonici conuenisse, ostendam.

^{a)} perill. HELLFELD in compend. iur. feud. §. 32.

§. IX.

Certissimum est, tam antiquiore quam recentiore aetate filios illegitimos omnes ab hereditate paterna tam allodiali quam feudali fuisse exclusos. Hoc testantur omnia iura antiqua, ea vero praesertim, quae feuda concernunt. Sic legimus in auct. vetere debeneficiis ^{a)} *clerici, mulieres, rustici et mercatores, et iure carentes et in fornicatione nati, iure carent beneficiali*. Eadem fere verba repetuntur in iure feud. Saxon. ^{b)} Pfaffen, Weib, Dörfere, Raustüthe und alle die Rechts darben oder unehlich geböhren sind, und alle die nicht sin von Ritters Art vom Vatter oder Elter Vatter, die syhn Lehn Rechts darben. In iure Allemannico feudal. ^{c)} verba leguntur: Alle die nicht ehliche geböhren sollen Lehn Recht

Nicht darben. Luculentissime ex hoc apparet, filios illegitimos iure successione feudalis plane destitutos fuisse. Rationes, cur excludebantur praefertim in macula, qua eiusmodi filii laborabant, quaerendae sunt. Ante compilationem, istorum speculorum et iurium feudalium talem infamiam in eos liberos vlla lege statutam nullibi legimus. In lege Salica *d*) in lege Longobard. *e*) in capitul. regum Francor. *f*) inuenimus quidem filios quosdam infames declaratos fuisse, sed hoc tantum de incestuosis constitutum fuisse legimus, qui ideo quoque ab omni excludebantur successione. Ex eo quoque apparet, cur multi filii illustrium illegitimi in regna successerunt, quorum nonnulla exempla supra adduxi. Omnes filios priuatorum illegitimos a successione feudali tunc temporis fuisse exclusos nondum explorata est veritas. HEINECCIUS mihi hac in re haesitare videtur *g*). Insequentibus vero temporibus non incestuosi solum, sed omnes fere reliqui liberi illegitimi hac macula notati sunt. Sic expressis verbis in iure prouinciali Allemannico *h*) et iure prouinciali Saxon. *i*) vocantur edyt und ehrlöse Kinder. Cur aetate speculatorum hi liberi infames habebantur, ratio est, quod eo tempore decretales iam auctoritatem quandam nacti erant, et iam matrimonium sacramentum credebatur. Cum ius canonicum omnem coitum extra matrimonium illegitimum pronuntiaret, filiisque ex tali coitu procreatis iura legitimorum negaret, Germani, eos macula quadam laborare putarunt, et inde euenit, quod temporibus subsequenti- bus longe deterioris conditionis fuerint.

a) C. I. §. 4.

b) lib. I. c. 2.

c) C. I. §. 4.

d) Tit. 14. §. 12.

e) Lib. 2. tit. 1. §. 9.

f) Lib. VI. cap. 307.

g) in elem. iur. germ. §. 148.

h) C. 410.

i) Lib. I, art. 37.

C

§. X.



§. X.

Haec macula eiusmodi liberis secundum ius cationicum et romanum ablui potest. Cum igitur Germani tantum odium erga illos ex his iuribus concepissent, remedium quoque illam maculam abstergerendi, ex iisdem hauriebant. Hoc remedium est legitimatio Germanis non incognita. Haec legitimatio iis erat vel per rescriptum principis vel per subsequens matrimonium. Aliorum, quos in iure romano invenimus, modorum nullam habebant notitiam. Eosdem quoque effectus Germani legitimati tribuebant, id quod ex multis vtriusque speculi locis patet. In iure Allemannico provincial. a) legitimati per rescriptum principis fit mentio: Gewinne ein Mann einen Sohn unehlichen, den mag der Papsst zu einem Kind machen, auch der Kaiser nach seinem Recht. Hoc repetitur in eodem speculo. b) Der Papsst und der Kaiser machet auch wohl unehlich Kind zu Kind nach ihren Rechten. Eiusmodi liberos ab hereditate aliis liberis existentibus excludi, docet ius romanum et ab introductione iur. rom. semper fuit Doctorum communis opinio. Hoc servat quoque idem ius provincial. Allemann. b) Aber der Papsst und der Kaiser mögen ihm das Recht nimmer geben, daß sie erben mit andern Mägen, als ob sie in ihrer Mutter Leib Ehkind wären gewesen. Eadem fere verba repetuntur c. 373. eiusd. specul. quae quidem in edit. MEISCHNER. non repetuntur, a BERGERO vero restituta sunt. Filios illegitimos tali modo apud Germanos fuisse legitimatos multa in historia testantur exempla d).

a) cap. 371.

b) cap. 373.

c) l. alleg.

d) HEINECCIUS in elementis iuris germanici §. 149.

§. XI.

Legitimi per rescriptum principis in feuda non succedunt, nisi a principe legitimati sunt eum in finem ut parenti-



rentibus suis succedant, et alii liberi non extent. Hoc quoque in iure feudali reperimus, et multa dantur exempla filios a principe et praecipue ab imperatoribus legitimatos in feuda successisse. Hoc factum fuisse apud Longobardos testatur Glossa ad II. F. 26. his verbis: *Hoc autem quod de naturalibus liberis dicitur, ita intelligo, nisi fiant ita legitimi, ut in feuda succedant, et hoc sit nominatim dictum ab imperatore, et sic ex rescripto licebit, quod alias non liceret ut C. de precib. imperat. offerend. l. quoties.* Et ita accidit Mutinae in causa cuiusdam Hugolini contra Passapontes. Legitimatos ab imperatoribus Germanorum in feuda successisse, addunt exempla a Friderico II. Imp. qui filios ex Margaretha Comite et Domina Flandriae ex Burchardo de Avesnis illegitime natos ao. 1243. ita legitimat. *Petitione proposita coram nobis, ut si quis esset in eis defectus natalum legitimacionis beneficio dignaremur prosequi et supplere, meminimus eos ex certa legitimasse scientia de nostra plenitudine potestatis ut paternis et maternis bonis succedere valeant tanquam legitimi a).* Huc quoque pertinent litterae legitimacionis Gerlaci Grans ab Imperatore Ruperto apud SCHILTERVM b) in quibus verba inveniuntur: *Te habitamus et ad legitima iura reducimus, ut in bonis quibuscunque parentum, agnatorum, cognatorum, et quorumcunque aliorum etiam si feudalia sint, ex testamento et ab intestato succedere valeas ac possis.* Similes litteras idem imperator filiis ex concubina Rudolphi von Zeissenheim natis dederat. Verba apud SCHILTERVM ita se habent. *Schepfen und machen sie also zc. daß sie zc. Mannlehn, Burglehn und Erbtehn empfänglich sind als andere des Geschlechts von Zeissenheim, die ehelich geböhren, und vom Vatter und Mutter vitermäßiges Schides und Wappens Genos sind.* Nonnullas alias litteras legitimacionis, in quibus ad effectum successio- nis in feuda filii illegitimi legitimantur, idem SCHILTERVS in lucem emisit e. g. litteras IOANNI HVNNEM de SCHAFFHAUSEN, qui filius naturalis erat, datas. Nobis quidem



obici potest diploma imperatoris, quem vero adhuc incertum putant, apud GOLDASTVM *d*) in quo filii a clerico, in sacris ordinibus constituto, et muliere soluta geniti legitimantur, ita ut iis iura legitimorum tribuantur, et ii quidem successionis tam in bona paterna quam materna, sed ea, quae non sunt feudalia, capaces declarentur, sed sine dubio aliae rationes adfuerunt, quibus commotus imperator iis successionem in feuda denegauerit, et ex vno exemplo, cum multa plurima obissent, regula generalis formari non potest. Plura exempla collegit ADAM. FRID. GLAFEY *e*).

- a*) EDMUND. MARTENE et VERSINI DVRANDI Tom. I. thes. nou. anecdot. p. 1021.
b) in comm. ad ius feudal. Alemann. p. 228.
c) loc. alleg.
d) tom. III. conf. imper. p. 598.
e) in anecdotis, R. I. historiam. ac ius publicum illustrantibus p. 108. 189. 363. 392. 398. 692.

§. XII.

Quod ad legitimacionem per subsequens matrimonium attinet, iura germanica quoque in eo cum iure canonico conueniunt, quod eos, quos ius Canonicum legitimacionis expertes declarat, tales quoque pronuntient. Filios adulterinos legitimos non fieri docet ius Canonicum, et quidem illud Capit. famosum 6. tanta *X. qui filii sunt legitimi*. Hos filios quoque, vtrumque speculum tam Saxonicum quam Suenicum illegitimos declarat, et sic a successione feudali excludit. Verba in iure provinciali Saxonico *a*) ita se habent: *Sive so enes Mannes Wif behoret openbare, oder Wif oder Maghet nodeghet, nimpt he se darnach roechte, echte Kind er wint nimber bi or.* Et in iur. prou. Allemann. *b*) *Der eins Mannes Ewip behuret, oder Maget, oder Wif noßoget, nimt er sie darnach zu der E. Kind werden sie nimmer.* Plurimi horum iurum germanicorum interpretes maximas hoc loco adesse difficultates putarunt. Secundum antiquiora iuris Canonici

prae.

praecepta matrimonium inter adulterum et adulteram fuisse
 prohibitum constat. Papa vero Innocentius III. eiusmodi
 matrimonium licitum pronuntiauit, vt ex cap. 6. X. *de eo
 qui duxit in matr. et cap. 7. de rapt.* apparet. Eo ipso igitur
 Innocentius liberos legitimos ex matrimonio procreari
 constituit. Plurimi vero credunt, vtrumque speculatorem
 eos filios ex tali matrimonio natos, nihilominus declarasse
 illegitimos. In eadem quoque opinione fuisse Papam Gre-
 gorium XI. apparet ex bulla ipsius Papae quam ao. 1373. ad
 episcopum Rigensem miserat c) in qua contra speculum Sax-
 onicum grauissime insurgit, et inter alia hunc articulum
 plane damnat. Episcopi quoque sacramento matrimonii hunc
 articulum aduersari, pronuntiarunt. d) GRYPEN constitu-
 tiones istas Decret. c. 6. X. *de eo qui duxit. in matr. c. 7. X.
 de rapt.* ad scientiam vtriusque speculatoris haud peruenisse,
 putat. Hoc celeb. DREYERO f) displicet, cum decretales
 non in Germania solum, sed in aliis quoque regionibus
 septentrionalibus tunc temporis multum haberent auctoritatis,
 et hoc omnino verum, vt ex loco quodam g) specul. Sueuici,
 in quo ipsa constitutio Inocentii III. c. 6. X. *de eo qui duxit. in
 matr.* reperitur perspicui potest. Celeb. DREYERVS igitur putat
 REPKOVIVM thesin suam, quam tuebatur, Papam nullum ius
 in praeiudicium iuris provincialis condere posse, hoc loco
 applicuisse, eumque principia iuris Saxon. quae cum princi-
 piis iuris Canon. antiquioris conueniebant, esse secutum.
 Sed cur REPKOVIVS tale matrimonium inter adulterum et
 adulteram admisit, quod admisisse testantur verba: Nunt er
 sie darnach zur Ehe, cur non potius id plane prohibuit?
 Nonne contra rationem est, matrimonium legitimum ali-
 cui permittere, liberos vero ex eo matrimonio genitos ille-
 gitimos declarare? Non possum igitur opinioni GRYPENII,
 nec opinioni DREYERI adstipulari. Potius speculatores a
 principiis iuris canonici minime aberrasse mihi videntur?
 Quid obstat, quo minus REPKOVIVM et auctorem speculi
 Sueuici numero eorum, qui statuunt filios adulterinos secun-
 dum



dum ius canonicum per subsequens matrimonium legitimari non posse, adscribamus. Verba igitur specul. Saxon. echte Rint erwint nimber bi or indicant, eos filios, quos adulter ex adultera quam postea in vxorem duxerat, suscepit, nunquam legitimari. Haec verba clarius declarantur per locum allegatum speculi Sueuici, vbi loco vocis gewinnen quam speculator Saxonicus habet, vox werden adhibetur. Nulla igitur restat difficultas in his locis interpretandis speculorumque confectores contra rationem aliquid constituisse, statuerere opus non habemus. In eo igitur quoque iura germanica cum principiis iuris canonici conspirant. Quae cum ita sint, filii adulterini, quamuis eorum parentes matrimonium inierint, a successione feudali erunt arcendi.

a) art. 37. l. 1.

b) C. 410.

c) Haec bulla speculo Saxonico praemissa fuit, eam quoque habet GOLDAST in collectione consuetudinum et legum imperialium.

d) vid. DREYERVS l. a. p. 278.

e) vxor. theot. p. 260.

f) l. a. p. 277.

g) c. 370.

§. XIII.

Legitimatio per subsequens matrimonium longe maiores tribuit effectus quam legitimatio per rescriptum principis. Cum igitur inuenimus legitimatos per rescriptum principis in feuda successisse, multo magis filii per subsequens matrimonium legitimati, succedere debent, praesertim cum Germani, quod ad doctrinam de legitimatione spectat, principia cum iure Canonico fere communia habuerint. Eiusmodi filiis, successionem in allodiis parentibus, ne minimam quidem vquam factam fuisse controuersiam inuenimus isque denegatam fuisse successionem in feudis ex ea ratione quod successionis feudalis non sint capaces, nulla antiqua Germanorum consuetudo, et ne vnicum quidem exem-

exemplum proferri potest. Potius Germanis fuisse consuetudinem eos filios ad successionem in feuda admittendi, patet ex loco quodam speculi Sueuici luculentissimo, adeo ut contra illum nil obiici posse, putem. Speculator dicit ^{a)}) Hat aber ein Mann eine Frau zu lediglichen Dingen, und hat Kind bey ihr litzel oder viel, nimt er sie darnach zur rechter Ehe, was sie Kind lediglichen mit einander gehabt, da sie einander zu der Ehe nehmen, da sind sie alle rechte Ehekind worden, und erben eygen und Lehn von Vatter und Mutter und von andern ihren Freunden als woll als die Kind, die sie hernach gewinnen, als sie einander zur Ehe genommen han. Mirum in modum cum nostro Sueuo conspirat glossator iuris provincialis Saxonici ad lib. 1. art. 37. vbi haec verba habet: Wenn ein Mann oder Frau bei ihm hat zu unredlichen Dingen außserhalb der Ehe und zeuget Kinder mit ihr viel oder wenig, wenn er sie darnach zu der Ehe nimt, wie viel sie der unehelichen Kinder hatten, ehe sie in die Ehe tratten, dieselbe werden darnach alle ehelich und erben eygen und Lehn gleich als wohl, als die so sie darnach in der Ehe gewinnen. Nonne hi loci omnium luculentissimi sunt? Aduersarii quoque cum nil obicere queant, speculatorem et glossatorem grauibus confestantur conuiciis. BAVERVS locis his adductis verbis vtitur l. a. §. 32. Opus, inquit, videtur ut ipse nimium laborem, quo defunctus sum doleam. Non doleas penna mea, alacrius procedas. Mores istos contrarios, cum iactitata ab aliis, et mox impugnata praxi, in auram abire videbis. Sed mittamus hoc.

^{a)} C. 374.

§. XIV.

Haec legitimatio Germanis ritu quodam peragebatur. Filii enim sub pallio matris cum parentes matrimonio sibi iungerent, latitabant, vnde in omnibus legibus vsque ad saecul. XVII. vocantur Mantelkinder. Eos omnia filiorum legitimo-



gitimorum iura habuisse, et in bonis tam paternis quam maternis cum reliquis liberis successisse tam multa exstant exempla, vt id nemo negare possit, nisi omnem fidem historicam tollere velit. Superuacuum esset id multis hoc loco demonstrare exemplis. Vnicum tantum, quod DREYERVS l. a. ex du CHESNE script. rer. Francic. Tom. IV. ad annum 1014, in Roberti: habet, allegabo *Die desponsationis liberi eius, ante matrimonium suscepti ex ea, quam ducebat ante altare pallio cum parentibus suppositi, legitimati sunt.* Plura congeffit SCHWARZ *a)* GRUPEN *b)* KNORR *c)* et RICCIVS *d)* Omnia fere quoque regna septentrionalia, (Norwegia *e)* Suecia *f)*. Dania *g)* iis liberis successionem in bona tam materna quam paterna ab antiquissima aetate concesserunt, eosque in omnibus pro nobilibus legitime natis, et sic quoque successionis feudalis capacibus cum Germanis semper habuerunt. *b)*

a) in erudita dissert. de antiquo ritu legitimandi liberos per pallium.

b) in vxor. theor. p. 273.

c) In den rechtlichen Abhandl. und Aufsätzen. p. 16.

d) in spicil. iur. germ. Lib. II. Tit. XI. n. 11.

e) Pontoppidani annales eccles. Tom. I. p. 803.

f) ius Vplandiae Tit. III. de iure hered. c. 19. §. I. p. 391.

g) in Waldemari Scelands. Law. l. III. art. 49.

b) de his vid. DREYER l. c. p. 310.

§. XV.

Speculi Sueuici auctorem hominem quidem priuatum fuisse, cognitum est. Sed id non obstat, quo minus eius compilatio auctoritatem legalem acceperit, non per se, sed ex receptione. Medio aeuo tantum duo iura cognita erunt, ius scilicet Saxonicum et ius Francicum, quibus tota fere Germania regnata fuit. Huc pertinet argumentum ex aurea bulla defunctum *a)* in qua iuris Saxonici et Francici tantum sit mentio. Haec iura ab his, quae nobis exhibet speculator. Saxon, et Sueuic. fuisse diuersa, nullibi constat. Multos

Multos, in quibus quoque illustres, ad hoc ius Francicum seu Suevicum vsque ad institutionem iudicii Cameralis prouocasse SCHILTERVS *b)* adduxit. Idem SCHILTERVS et RINCKIUS *c)* id multis aliis argumentis stabilire statuerunt, et praecipue hoc testantur GOLDASTVS *d)* KVLPI-SISVS *e)* CONRINGIUS *f)* DATTIUS *g)* et Dominus de SENKENBERG *h)*. Sunt, qui vsum huius speculi tam aetate antiquiore quam recentiore negant. *i)* Plurimi tamen eorum, fatentur huius speculi auctorem consuetudines, hoc tempore existentes collegisse, earumque esse testem certum et satis idoneum. His se ipsos refutant. Inueniuntur enim multae imperatorum constitutiones, in quibus claris verbis sanciunt, consuetudines antiquas in posterum esse obseruandas. Huc pertinet quod GOTTFRIIDVS MONACHVS *k)* de Friderico II. refert, nec non constitutio Rudolphi I. ao. 1281. Herbipoli, et 1291. SPIRAE *l)* emissa, praesertim vero quod SIGISMVNDVS *m)* imperator in comitiis Noricis ao. 1431. statuit. Cum igitur speculator Suevicus consuetudines antiquas collegerit, earumque certus sit testis, imperatores vero antiquas consuetudines et iura in posterum seruari iusserint, eo ipso quoque consuetudines in speculo Sueuico contentas, valere iusserunt, et ex hoc vsus speculi Sueuici apparet.

a) Cap. 5. §. 2.

b) in praef. ad ius feud. Allem.

c) in dissert. de specul. Saxon.

d) in praefat. über die Reichs-satzungen.

e) de origine iuris Germ.

f) in dissert. acad.

g) de pace publ. lib. IV. c. 4. n. 121.

h) Gedanken von den iederzeit lebhaften Gebrauch des ältesten deutschen bürgerlichen und Staats-Rechts nach Anleitung des Schwaben-Spiegels.

i) Huc refero de LVDEWIG in praef. de iure client. §. 8. HARP-RECHT VON HARPFECHTSTEIN de non vsu specul. Sueuici, v. BVRI l. c. p. 195.

k) apud SCHILTERVM in praefat. iur. feudal. Allem. §. 16.

l) LEHMANN lib. V. Chron. Spirens. c. 108.

m) apud SCHILTERVM loc. alleg.

D

§. XVI.



§. XVI.

Ex iis, quae spho praecedente dixi, concludo: Cum speculum Suevicum auctoritatem legalem habuerit, sequitur secundum iura quoque in isto contenta pronuntiarum fuisse. Locum igitur in specul. Suevico cap. 373. in viridi fuisse obseruantia et legitimos per subsequens matrimonium in feuda successisse contendi potest. Fac, non omnes consuetudines, quae in isto speculo referuntur, fuisse obseruatas, omnes tamen conueniunt, harum nonnullas in vsu esse habitas. In iis vero eam consuetudinem fuisse, qua liberi per subsequens matrimonium legitimi ad successionem in feuda admittebantur, ex eo apparet, quod Germani in rebus ecclesiasticis principia iuris ecclesiastici sequebantur, id quod expressa constitutione *a)* iam aetate Friderici II. ao. 1235. sancitum inuenimus. Verba huc spectantia ita se habent: Wir gebieten auch vestiglich, daß man in allen römischen Reich an geistlichen Dingen nach Gebot und nach Rath die Erz-Bischöffe sich habe, und ieglicher Bischof oder Erz-Priester nach geistlichem Recht richte. Were darweder ist, den soll man haben vor einen ungläubigen Mann. Quae repetita fuit 1287. in comitiis Herbipolensibus *b)*. SCHILTERVSE) bene animaduertit, in his causas ecclesiasticas ex iure Canonico esse decidendas constitutum fuisse. Non vero putamus vsu speculi Suevici post institutionem iudicii Cameralis imminuto, eam quoque consuetudinem esse abolitam. A beo tempore testantur MYNSINGER et GALLIVS supra a me adducti, et tam multa praeiudicia in scriptis Doctorum practicorum, vt hac de re nemo dubitare possit.

a) apud GOLDASTVM in Reichs-sagungen P. 2. p. 18.

b) SIFRID. PRESEBYT. ad hunc annum. Lehmanns Speirische Cronik l. 5. c. 108.

c) in praefat ad codicem iur. feud. Allemann. §. 18.

§. XVII.

§. XVII.

Consuetudines constituunt ius non scriptum. Ius non scriptum nititur tacito principis consensu. Secundum regulam vulgarem, iste tacitus consensus est quoque verus, consensus qui ideo a principe tali modo declaratus, facit legem. Consuetudo igitur semper vno eodemque modo reiterata, quaeque ad scientiam principis pervenire potuit, pro lege habenda est. Omnia haec requisita habet ea consuetudo, qua filii per subsequens matrimonium legitimi in feuda succedunt. Sequitur inde, istam in Germania esse legem, ab imperatore et statibus imperii tacite constitutam, et cum lex, si de eius abrogatione, quae iterum expressa vel tacita esse potest, non constat, semper servari debeat, non liquet cur legitimi a successione feudali arcendi sint.

§. XVIII.

Putant quidem, quibus adscribo *BAVERVM* l. c. §. 30. sententiam solida ratione destitutam consuetudinem vel ius imperii non efficere, sed primo hanc sententiam solida ratione esse destitutam ipsi erit demonstrandum. Ex primis Germanorum moribus aetate Taciti existentibus id demonstrare studet, sed eum laborem esse superfluum quis non animadvertit. Nil enim nisi crassissimas earum consuetudinum ante compilationem speculorum inuenimus tenebras et legitimos per subsequens matrimonium in feuda non succedere ex iis demonstrare idem est, ac quacuis alia ex iis probare.

§. XIX.

Nulla inter illustres et priuatos hic subest differentiae ratio *a)*. Causae enim illustrium quae ad feuda spectant secundum iura Germanica et his deficientibus secundum iura peregrina ius Longobardicum, Canonicum et Romanum diiudicandae veniunt et inter se iure priuatorum censentur.



Exinde facile perspici potest, eodem modo quo priuati succedunt, legitimatos quoque per subsequens matrimonium succedere. Non occurrit quidem exemplum illustrium tam in feuda regalia, quam non regalia, sed exinde contrarium concludi non potest.

*) perill. HELLFELD in compend. iur. feud. §. 198.

§. XX.

In resoluendis dubiis, quae communiter meae sententiae opponi solent, nunc aliquid operae ponendum. Cum aduersarii suam sententiam ex consuetudinibus Germanorum demonstrare studeant, iis vero locus speculi Sueuici (§. XIII.) maxime obstat, omnibus nituntur viribus, hunc locum interpretatione quadam detorquere. Non crederem quidem, contra hunc locum aliquid obiici posse, nihilominus tamen id deprehendere licet. Speculator statuit, filios per subsequens matrimonium legitimatos succedere in eygen et Lehn. Vt hanc difficultatem tollant BAVERVS et ICTI apud PVFENDORFIVM l. c. sub voce Lehn allodium esse intelligendum putant, quia saepius allodia Lehn vocantur. Prouocant ad morem loquendi vsitatum das Haus in Lehn nehmen, sub quo tamen nihil nisi allodium intelligi possit. Non nego Lehn nonnunquam sub hoc significato venire. Hoc satis demonstrant HALTHAVS a) et CONRADI b). Eiusmodi vero explicationem huius loci iuris prouincialis Allemannici merito vocare possumus ieiunam, et mirandum est, viros alioquin doctos, hunc locum ita explicare potuisse. Voces eygen und Lehn speculatores sibi inuicem opponunt. Vox eygen, vt cuiuslibet constat, denorat allodium. Si igitur vox eygen opposita est voci Lehn, hoc feudum et illud allodium significet necesse est. Eadem est ratio verborum glossatoris, ille enim indem vocem eygen opponit voci Lehn. Si speculator et glossator sub verbo Lehn allodium intellexissent, non necesse habuissent verbum Lehn addere, sed tunc verbum eygen

eygen sufficere potuisset. Hoc quoque BAVERVS ipse per-
spexisse videtur, non enim multa verba de hac explicacione
facit.

a) Glossar. fori Germ. p. 1223.

b) de nominibus German. Feode et Fehn obl. 4. p. II.

§. XXI.

Has igitur perspicentes difficultates contra ipsum insur-
gunt speculatorem eumque magnis persequuntur ludibriis.
Obiiciunt istam compilationem privato studio exaratam esse,
non maiorem quam glossatorum et reliquorum iuris inter-
pretum, iurium peregrinorum civilis et Canonici studio ob-
caecatorum, doctrinam fidem merere. Alii, compilatorem,
iurium patriae penitus ignarum declarant, eum mona-
chum, qui campum iuris germanici aqua fontis iuris ca-
nonici irrigauerit, qui totam suam sapientiam ex nou. 89.
c. 8. et c. 7. X. *qui filii sunt legitimi* hausserit,
vocat, eumque in torum reiciunt. Sed nonne sibi
ipsis contradicunt, quando a Doctoribus iuris patrii ad ista
specula prouocatur, et hi ipsi ex istis desumunt, quod meae
sententiae aduersari credunt? Maxime vero opponunt spe-
culatorem principia iuris canonici esse secutum. Hoc ita se
habere plane negari nequit. Sed consuetudinem, quae ab
aliis nationibus ad nos perlata est, si a maioribus a tempore
immemoriali obseruata fuerit, eo ipso consuetudinem pa-
triam factam fuisse, quis non perspicit? Praeterea alia re-
periuntur in istis speculis tam Saxonico quam Sueuico quae
sunt iuris peregrini, de quibus tamen abiiciendis nemo co-
gitat. Quid quod isti Doctores, qui haec opponunt, ad loca
quaedam sunt desumpta, prouocant. Sic prouocant ad c. 373.
Romano provinciali. Allem. in quo Papae et Imperatoribus ius nega-
tur filios per rescriptum ad effectum successionis, aliis liberis exi-
stentibus, legitimandi. Ergo nec Papae nec Imperatori hoc Ger-
manos



manos concessisse contendunt. Hoc idem ex iure romano desumptum esse quilibet perspiciet. Quod igitur aliquis pro se allegat, contra se quoque allegari pati cum oportet.

§. XXII.

Fac quæstio, consuetudinem qua Germani filios per subsequens matrimonium legitimatos ad successionem feudalem admittunt ex iure romano esse desumptam, quomodo poterunt probare, Germanos aliam habuisse consuetudinem eamque esse iuris germanici. Ne minima quidem supersunt vestigia. Porro alio modo refutari possunt. Contendunt, legitimationem ex iure romano Germanos adopsisse, et cum feuda sint institutum mere germanicum, in causis feudalibus legitimationem non obtinere. His oppono: supra demonstratum Germanos maximum odium erga filios illegitimos concepisse iure canonico commotos, eamque ob causam eos macula quadam notasse. Memini quoque adhuc incertum esse, eos antequam decretales auctoritatem in Germania acceperant, a successione feudali fuisse exclusos. Ex iis concludo, si aduersarii vrgent, consuetudinem qua legitimi in feuda succedebant ex iure canonico Germanos adopsisse, eamque ob causam reiiciendam putant, concedere debent, eam consuetudinem, qua Germani filios illegitimos nulla notabant macula, et eos ad successionem admittunt, esse consuetudinem propriam Germanorum. Cum igitur ex eorum sententia consuetudo propria Germanorum ei sit præferenda, quæ ex iure romano recepta est, sequitur filios illegitimos potius, quam legitimatos per subsequens matrimonium, adhuc hodie in feuda succedere, id quod absurdum.

§. XXIII.

Nunc quædam dubia, quæ aduersarii ex istis speculis, quæ tamen admodum spernunt, si eorum sententia non fauent, desumunt, attingam. Inveniuntur loca quædam tam in iure prouincial. Allem. quam Saxon., quæ liberos

ros in matrimonio iusto tempore haud natos, infames declarant, et sic a successione feudali excludunt. Hoc reperimus in c. 274. in fine iuris prouincial. Allemann. Man mag die Kinder überkommen, daß sie zu spat, oder zu früh gekommen sind. Sie erben ihr Vatter und Mutter Guth nicht es erben ie die rechte Erbe. Iis respondent verba specul. Saxon. lib. 1. art. 36. Wenn ein Weib einen Mann nimpi gewinnt sie Kinder ehe die rechte Zeit komt, da das Kind geböhren werden mag, man mag es beschelzen an seinen Rechten, wenn es zu früh geböhren worden. Si igitur liberi in matrimonio geniti, iusto tempore haud procreati, omnium iurium expertes declarantur, multo magis id in filios extra matrimonium genitos, quamuis hoc subsequatur, redundat. Certe non leue foret argumentum, si ista verba ita essent intelligenda. Caput iur. prouincial. Allem. inscribitur: Von unzeitigen Kindern et in principio de liberis qui nimis mature, in fine vero capit: qui soluto matrimonio nimis sero nascuntur agit. Hos ab hereditate repellendos speculatores statuunt. In hoc nihil contradictionis reperio. Nonne secundum ius ciuile idem constitutum est. Liberi soluto matrimonio nimis sero nati apud nos reputantur illegitimi patrique non succedunt, et liberi nimis mature nati eodem modo creduntur liberi illegitimi. si pater eos agnoscere nolit, et de iis liberis, quos pater suos habere recusat, loquuntur speculatores. Hoc totus demonstrat contextus. Nonne alias maxime speculator Sueuicus sibi contradixisset. si capit. 347. filios per subsequens matrimonium legitimatos, legitimos declaret, cap. 274. vero eos in matrimonio quamuis iusto tempore haud procreatos, quos autem pater suos agnoscere vellet, illegitimos habendos statueret.

§. XXIV.

Fac ea verba speculi §. praeced. allegata de filiis in matrimonio haud iusto tempore natis, non obstante confessione patris illegitimis habendis intelligi debere, tunc hoc argumen-



argumento contra ipsos aduersarios utar. Omnes statuunt, filios qui extra matrimonium concepti, in matrimonio vero editi sunt, in feuda succedere. Cum igitur successio feudalis eorum ex sententia, ex consuetudinibus mere germanicis sit aestimanda, filiis quoque, in matrimonio haud iusto tempore nati, ab omni successione feudali essent arcendi, quia Germani eos eorum ex hypothesi excluderunt. Nonne ita sibi ipsis contradicunt?

§. XXV.

Contrariam sententiam adhuc adiuuare videntur loca quaedam iuris prouincialis et feudalis Allemann. et Saxon. Huc pertinet c. 107. iuris prouincialis Saxonici, c. 44. iur. feud. Allemann. et cap. 20. iur. feud. Saxon. in quibus locis liberis ex matre deterioris conditionis genitis, omne succedendi ius negatur. Speculatores utuntur voce ebenbürtig. Haec vox multas habet significationes. Plurimum vero eum significat, qui a personis statu aequalibus fuit genitus. Concedendum est Germanos filios inaequales maximo profectos esse odio, iisque omnia successione iura denegasse. Huius consuetudinis obseruandae eos maxime fuisse tenaces inuenimus. Vnde vero probabimus filios illegitimos semper deterioris fuisse conditionis, eosque per subsequens matrimonium legitimatos non existisse ebenbürtig? Certe si filii tali modo legitimati succedunt, id quod antea demonstrari, filii vero qui non sunt ebenbürtig haec iura non habent, omnino sequitur eiusmodi filios patri et matri conditione fuisse aequales. Hanc meam probationem non esse petitionem principii ex eo apparet, quod speculator Sueuicus si eiusmodi filiis, qui ex hypothesi aduersariorum non erant ebenbürtig successione in feuda concessisset aperte falsa in speculo suo protulisset, et ea quae moribus Germanorum notioris plane repugnabant. Ex eo igitur, quod eos ad successione feudalem admittit, aetate ista eos patri conditione aequales fuisse sequitur. Qui igitur per subsequens matrimonium

matrimonium legitimatedi in feuda non successerunt, iis certe inaequalitas patris et matris obstitit. Huc pertinet exemplum notissimum a) Alberti degeneris Thuringiae Landgrauii, qui filium ex Cunigunda Eysenberg susceperat, postea istam Cunigundam in matrimonium ducens, istum filium Apicium ad iura legitimorum euehere conabatur, cui vero ordines prouinciales caeterique filii maxime contradicebant, adeo ut ALBERTVS desistere cogeretur. Reiciebant igitur hunc Apicium ideo, quod ex persona patri statu non aequali, et quacum Albertus matrimonium vulgo *Misheurath* dictum inierat, procreatus erat, id quod solide demonstrauit de *LVDWIG b)*.

a) FABRICII Origin. Saxon. Lib. 6. p. 594.


b), in different. iur. rom. et germ. in dign. vxor. Tom. I. Opuscul. p. 1172.

§. XXVI.

Alia quaedam dubia leuiores meae sententiae opponuntur. In iis ponunt C. 14. §. 1. iur. prou. Allem. quo loco verba leguntur: *Niemand mag ihm selber ander Recht erwerben als ihm angehören ist.* Ex hoc concludunt, filios illegitimos maculam, qua laborant secundum ius germ. retinere, et per subsequens matrimonium legitimatedi non posse. Sed longe alius horum verborum est sensus. Significant enim, neminem natiuitate maiorem dignitatem consequi, quam ipsi dignitas patris et matris dederat, et eum qui patrem inferioris nobilitatis habuerit, superioris nobilitatis participem non fieri.

§. XXVII.

Ex his apparet, Germanis semper fuisse consuetudinem legitimatedos per subsequens matrimonium ad successionem
E feu-



feudalem admittendi. Cum igitur ius feudale Longobardicum, iure germanico scripto vel non scripto nil decedente, in subsidium veniat, iure vero feudali non scripto legitimatos per subsequens matrimonium in feuda succedere ostensum sit, nullam iuris feudalis Longobardici rationem esse habendam innotescit. Nihilominus tamen ut eo certiores fiamus et nullum dubium superfit, ius feudale Longobardicum in subsidium vocabimus, idque etiam filiis per subsequens matrimonium legitimatis successionem in feuda concedere paucis ostendemus.

i

§. XXVIII.

Non iura solum Germanica, sed quoque ius feudale Longobardicum hac in materia multis disputationibus occasionem praebeuit. E iure Longobardico materiae nostrae inferuit II. F. 26. vbi verba ita se habent: *Filii naturales quamvis postea fiant legitimi nec soli nec cum aliis in feuda succedunt.* Qui eiusmodi filios legitimatos a successione in feuda excludendos putant, generalitati textus inhaerendum esse statuunt. Alii his verbis legitimationem per rescriptum principis intelligi debere defendunt, et sic filios per subsequens matrimonium legitimatos ad successionem feudalem admittunt. Haec posterior sententia omnino mihi vera videtur, quamvis multi eam in totum abiiciant, adeo ut celeb. DREYERVS a) hodie fere nullum, qui hanc sententiam amplectatur, inueniri sibi persuadeat. In lege quadam dubia interpretanda semper eo respiciendum est, ut aequior praeferenda sit sententia. Hoc menti legislatoris conuenire praesumitur, et est regula quam hermeneutica iuris non minus quam ipsa ratio nobis suppeditat. Quenam fere aequior sit sententia, facile poterit diiudicari, et hoc quoque argumentum est, cur iuris Longobardici textus non de filiis

liis per subsequens matrimonium legitimatis explicandum esse putamus.

§. XXIX.

Longobardos, iure successionis in feudis recepto, id ex parte secundum ius Romanum determinasse, multis argumentis corroborari potest. Saepius enim in materia successionis ad hoc ius prouocatur, quod mox sub nomine legis scriptae, mox simpliciter sub nomine legum et itidem legum romanarum allegatum inuenimus. Sic II. F. 37. dicitur: *ad agnatum proximiozem feudum pertinebit si paternum fuerit: eadem prorsus obseruando quantum ad ordinem gradus, qui continetur in legibus.* His legibus ius romanum intelligi, fere omnes statuunt. Quin ipsa verba ex iure romano hac in materia in ius Longobardicum translata esse patet ex §. 2. Inst. de hered. qualis collato cum II. F. 11. Sed hoc statuentes minime putamus, successionem feudalem Longobardicam non differre a successione ciuili, id quod legibus aperte repugnaret. Tunc differunt, si successio ciuilis naturae feudorum repugnat. Sic non succedunt regulariter foeminae ea ex ratione, quod feudalia, quae plerumque sunt virilia, praestare seruitia non possint, et quae sunt reliquae differentiae, quas bene animaduertit IOAN. SCHILTERVS *d*). Ex hoc concludo, decisionem casus ad successionem feudalem spectantis, in iure Longobardico non, aut dubie decisi, semper ita esse instituendam, vt quantum fieri potest, iuri communi respondeat, si dispositio iuris ciuilis hoc in casu naturae feudorum non repugnet. Hoc principium in ipsis legibus Longobardicis inuenimus, in quibus latius adhuc extenditur. Huc pertinet verba supra a me adducta, et ab Oberto ab Orto II. F. I. prolata: *strenuus autem legis peritus, sibi casus emerferit qui consuetudine feudi non sit comprehensus absque calumni. uti poterit lege scripta.* Hac lege



scripta ius romanum intelligi extra omne dubium positum est. BALDVS *b*) cum reliquis iurisconsultis ab aetate Frederici II. ita dicit: *Propria autem natura feudorum multas habet in se singularitates a consuetudine introductas. Casus tamen consuetudine non determinatus relinquitur determinationi iuris communis.* Hoc sententiae meae maius robur accedit: nam si casus in iure Longobardico feudali, non, aut quod idem est, dubie decisis, determinationi iuris communis relinquitur, ille ad materiam spectans, quam ius feudale Longobardicum ex iure civili quodammodo recepit, in casu obueniente secundum ius commune diiudicandus est. Hoc ad textum 2. F. 26. §. natural. applicabo. Haec lex pertinet ad successionem, id quod verba clare indicant et rubrica tituli docet. Est admodum dubia, quod controversiae de hoc textu agitatae testantur. In eo cum iure civili conuenit, quod legitimatos per subsequens matrimonium in feuda succedere naturae feudi non repugnat. Hunc igitur textum dubium ex iure civili explicandum, et sic de legitimatione per rescriptum principis tantum intelligendum esse, quis non animaduertit? Qui contrariam tuentur sententiam, simpliciter verborum generalitati inhaerent, et ubi ius non distinguit, nobis quoque non esse distinguendum, notissima ista iuris regula innituntur, quod praesertim vrget VVLTEIVS *c*) et PAVLVS BERENS *d*). Hoc quidem constat, sed aliter se res habet, si aliae regulae collidunt, in quibus aut vna aut omnes coniunctim regulam oppositam vincunt. Hoc in textu autem non paucae, et ex mea opinione tantae, quae illam vincunt, collidunt. Nonne obstat regula? casus in iure Longobardico feudali non aut dubie decisis relinquitur determinationi iuris civilis. Nonne verba textus nostri sunt correctoria et lex correctoria stricte est interpretanda? Nonne omnes ICI docent, legem dubiam semper ita esse explicandam, vt aequior praeferenda sit sententia? Has regulas illis aduersariorum

riorum opposcentes certe nostras fortiores esse statuere possumus. CASPAR BITSCHIVS *e*) HERRMANN VVLTEIVS *f*) REGNERVS BACHOV *g*) IO. VOLCKMANN. FECHMANN *b*) et alii argumentum contra meam sententiam inde desumunt, quod legitimatio per subsequens matrimonium quadam iuris civilis fictione nitatur, quae, vero simplicitati iuris feudalis repugnet. Non nego, ab initio numerum legum de feudis latarum, non adeo magnum fuisse et res plurimas vt ita dicam, de simplici et plano fuisse decisas. Sed nonne aetate succedente haec simplicitas maxime fuit restricta? cuius nobis fidem facit ius successionis in iure feudali receptum, aliaeque leges. Praeterea mea ex opinione in hac legitimatione per subsequens matrimonium talis non est credenda fictio, qualem communiter statuunt. Nec in iure romano nec in iure canonico, ne minimum quidem verbum inuenimus, quod huius fictionis mentionem faciat, sed tantum haec a ICris inuenta et multis inde seculis credita fuit, id quod bene demonstravit BOEHMERVS *i*). In hac legitimatione nullam fictionem locum habere, sed tantum retrotractionem matrimonii statuendam esse cum SIGISM. FINCKELTHAVSIO *k*) et IOA. STRAVCHIO *l*) putat FRIDEM. SCHNEIDERVS *m*). Haec quidem non admitto nam retrotractio matrimonii fictio est eadem res. Ex his apparet, si ostendere non possumus, praxeos esse, legitimatos iuribus primogeniturae frui, omnino horum iurium, aliis existentibus liberis participes non erunt, id quod, hac in re a sententia plurimorum ICtorum recedens, lubenter concedo. Et cum hanc fictionem in ea legitimatione hodie cessare, et merum ICtorum inuentum esse cum BOEHMERO *n*) statuam, hoc dubium mihi opponi non posse quilibet perspiciet. Paucis adhuc mentionem faciam dubii a PETRO GVDELINO *o*) prolati. Putat hos filios semper macula quadam laborare, ideoque a successionem feudali arcendos esse. Leue est argumentum, quis enim, his filiis maculam quamdam



dam adhaerere statuet. Contra quotidianam experientiam, contra omnem praxin aliquid tueri auderet. Cum iura germanica iis omnem adimunt maculam et haec praesertim filios naturales macula quadam notarunt, quam leges romanae in eos non statuerunt, certe iure Longobardico feudali tales filios naturales per subsequens matrimonium legitimatos quaedam notari macula minime contendi potest. Leuiores quasdam obiectiones FRANC. SONSBECKII *p*) et WILHELM. LVDWELLI *q*) qui ex ipsis verbis textus feudalis eruere conantur, legitimatos per subsequens matrimonium in feuda non succedere, merito praetereo, cum nil nisi subtilitatem cerebrinam prodant.

a) in comment. ad libri secundi consuetud. feudal. tit. quinquages. de natura successiois.

b) in praef. tract. super feud. n. 47.

c) de feud. lib. I. C. 9. n. 94.

d) in controu. iur. lib. I. D. I.

e) in comment. ad ius feudal. p. 412.

f) loc. cit.

g) loc. c. §. 2. alleg.

h) in exot. exercit. ad D. Tit. de probat. n. 71.

i) in iur. ecclesiast. protest. lib. IV. Tit. XVI. *qui filii sunt legitim.*

k) in controu. feud. D. VI. L. 13. n. 1.

l) Lib. I. Inst. iur. publ. Tit. 23. §. 4. scribit: Illorum vero legitimacionis, quae per matrimonium facta est, fundamentum et vera causa subest, nempe matrimonium ad tempus natiuitatis retractum, quod etsi post natiuitatem interuenire videatur, tamen hoc potius declaratio matrimonii iam ante contracti, sed haecenus non manifestati.

m) in diff. alleg. §. XVIII.

n) Loc.

- n) loc. cit.
 o) de feud. P. 3. C. 5. n. 2.
 p) de feud. p. 9. n. 72.
 q) in tract. de success. feud. C. 2. §. 2. p. 169.

§. XXX.

In textibus iuris Longobardici explicandis ICTi aut tempore collectionis istarum consuetudinum, aut non longo tempore post viuentes multum nobis ferunt auxilii. His praemissis nostra sententia, in hoc textu tantum legitimatos per rescriptum principis intelligi, magis confirmatur. Fere enim omnes a tempore collectionis consuetudinum feudaliū et ab aere Friderici II. imper. hunc textum de legitimatis per rescriptum principis intelligendam esse docent, et secundum hanc sententiam quotidie pronuntiarī, testantur. Praesertim vero nostrae sententiae fauet Baldus et quantam Baldi explicatio textus alicuius iuris Longobardici auctoritatem apud cruditos naeta sit, testis est satis certus et fide dignus Dominus de SENKENBERG a) scribens: Des Baldus summas hab ich stehen lassen, weil dieser große Rechtslehrer aus den mittlern Zeiten so das Lehnrecht noch dergestalt gewesen, als es in denen consuetudinibus vorgetragen ist den Sinn besser wissen können als diejenige so ihm nachgefolget sind. Ich verechte auch sonst den Baldus, als einen großen Lehnrechtslehrer; ich brauche seine Christen fast vor eine interpretationem authenticam. Meae vero sententiae fauet Baldus in tr. super feud. ad hunc textum filii naturales, scribens: Quaero quid de legitimatis per subsequens matrimonium? Respondeo secundum Iacobum de Belviso, hi in feuda succedunt. Plures cum Baldo eandem sententiam tenentes et Baldo coaetaneos recenset ANDREAS BARBAC b). Princeps quidem potest legitimare ad effectum successionis, quam legitimacionem



tionem vocant plenam per rescriptum principis legitimatio-
nem, quae opponitur minus plenae, qua tantum macula
natiuitatis tollitur. Et ne illam quidem, sed potius hanc in
hoc textu intelligi, et ita legitimatos per rescriptum princi-
pis ad effectum successionis, secundum ius Longobardicum
succedere multae suadent rationes. Verba glossae supra iam
allegata hoc quodammodo testantur, quae sic se habent:
*Hoc autem quod de naturalibus dicitur ita intelligo nisi
fiant ita legitimi ut in feuda succedant, et hoc nomina-
tum dicitur sit ab Imperatore. Et ita de feudo accidit Muti-
nae in causa quadam Vgolini.* Hi quoque Icti veteres qui
hoc textu legitimatorem per rescriptum tantum intelligunt
eum tantum de legitimatone minus plena valere, et non ad
plenam extendendam esse statuunt. Sic BALDVS d) *Quae-
ritur quid si legitimati sunt per principem eo adiecto quod
succedunt in feudis? Respondeo tunc succedunt in feudis pro-
pter, supremam principis potestatem.* In sequentibus late
disquirunt, num necesse sit, eos in rescripto successionis feu-
dalis capaces declarari. Baldus et reliqui Doctores verba
Glossae simul allegant: *Nemo potest legitimare ad regalia
et baronias nisi Papa et Imperator, et matrimonium subse-
quens.* Ex his apparet regulam, casum in iure Longobar-
dico non decusum et praesertim eum qui ad successionem feu-
dalem pertinet, relinqui determinationi iuris civilis, hoc loco
esse applicatam.

- a) in praef. corp. iur. feudal. §. 33.
- b) in additionibus Baldi Tract. super feud. ad textum filii naturales.
- c) ad II. F. 26. verb. natural.
- d) loco citat.

§. XXXI.

Aliud adhuc argumentum pro mea stabilienda senten-
tia restat, quod ex rubrica tituli defumo. Cuiacius hoc
prae-

praesertim vrget, quam ob causam multi eum huius explicationis inventorem credunt. Certum vero est antiquiores ICTOS ante Cuiacium ista vfos esse explicatione. CUIACIVS a) scribit: *Filii naturales patri non succedunt etiamsi post delatam successionem fiant legitimi, vt nec clerici nec monachi, licet postea desinant esse clerici et monachi.* Rubrica tituli est: *si de feudo defuncti contentio sit inter dominum et vasallum.* Fere totus quoque titulus controuersias post mortem vasalli ortas decidit. Nonne igitur explicatio ita institui potest, vt in hoc textu filii illegitimi post delatam successionem legitimitati intelligi debeant, id quod vox *legitimi* postea quodammodo euincit, alias enim filii *nati* *legitimi* aut simpliciter *legitimi* dici potuissent. Vident quoque verbum *admittuntur* in praesenti adhiberi cum *si* de filiis ante obitum patris legitimitatis sermo sit omnino vox *admittuntur* collocari necesse fuisset. Quibus suppositis mihi magis probatur, textum de filiis post delatam successionem legitimitatis, et non de iis, qui statim post natiuitatem legitimitati sunt, esse intelligendum. HOTTOMANNVS quidem hanc posteriorem sententiam sequitur, sed certe auctoritas ipsius non tanta est vt ad sententiam istam traheremur et praeterea aliae rationes, quorsum praecipue odium implacabile, quo Cuiacium prosequeretur, refero, Hottomannum Cuiacio contradicere comouere potuerunt. Cum igitur in hoc textu filii post delatam successionem, et ita post mortem patris a successione feudali excluduntur, legitimitatio vero per subsequens matrimonium post mortem patris locum habere non potest in hoc textu tantum legitimos per rescriptum principis a successione feudali arceri sequitur.

a) de feudis lib. IV. Tit. 12.



§. XXXII.

Et libelli et temporis breuitati ignoscendum est, quo minus omnia, quae dici poterant, per tractata sint. Quare aequum lectorem haec qualiacunque sint aequè accepturum spero et confido.

PRAENOBILISSIMO SVMMORVM IVRIS HONORVM
CANDIDATO

IOA. LVDOVIC. IVSTO GREINEISEN,
WEZLARIENSI.

S. P. D.

P R A E S E S.

Ea apud nos, dignissime Candidate, diligentiae laude versatus es, ut, iactis in Academia Gießensi solidis fundamentis, ea, quae ad reliquas iurisprudentiae partes addiscendas pertinent, sedulo superstrueres. TIBI itaque ad summos in utroque iure honores adspiranti eo libentius annuit Ictorum nostrorum ordo, quo magis iure et meritis tuis ab ipso id exigere videbaris. Dissertationis, quam publicae
dispu-

disputationi subiicis, inuentio et pertractatio tota tua est, vt, nisi quod praeses et comes TIBI adsim, mihi debeas nihil. Gratulor igitur parenti TVO optimo de filio spei ipsius egregie respondenti, gratulor TIBI de TE optime merenti, et de quocunque quondam eruditione TVA insigniter meritu- ro. Vale, et quod facis, me amare perge. Scri- bebam Ienae v. Cal. Ian. CIOIOCLXXV.

RESPONDENTI
PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

S. P. D.

C. A. THON, OPPONENS,

Solennis aliquis horror animum perfundit et adpropinquatio- nem diei annunciat, quo, quam egregie laborasti, defendes dissertationem atque etiam meorum argumentorum imbecillita- tem dignam erudita TVA disquisitione iudicabis. Nescio an ego forte, quasi vento aliquo secundo, delatus sim ad amici- tiae TVAE suauitatem; bene autem ita mecum actum esse, hoc omnino scio. Dulcissima erit temporis, quod TECUM degere contigit, recordatio. Fuit, fuit enim consuetudo illa iucun- dissima atque nunc TECUM viuere in hac bonarum artium mer- catura

F 2

catura



eatura amplius non licet. Sis igitur felix, discedas vndique optimis coronatus congratulationibus et votis, quorum summa tantum pars, opto, vt TIBI eueniant. Euenient autem certissime, spero, et si quid possit animi sinceritas, qua funduntur, spes ea lacte adolescit.

*Fallor? an exsurgit circum Te praescia laurus
Venturi, frondes merita ad Tuaserta ministrans,
Voxque nemo sacrum praenuncia personat: Annos
Per longos Themidis haec circa sacraria splendor,
Gaudia, diuitiae, virtutis praemia digna,
Vsque morabuntur. Sic est; et numen inesse
Siluae, vera canens, et nunquam fallere Musas.*

Sic valeas meique non obliuiscaris. Icaae d. XII. Ian.

MDCCCLXXV.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DISSERTATIONIS AVCTORI

S. D. P.

CHRIST. FR. SCHORCHT

VIN. I. V. C.

Occasio, quae TVAM mihi conciliabat amicitiam praeter spem mihi dabatur. Eo maiore animi laetitia eam amplectebar,
quo

quo certior eram, haud paruos ex ista familiaritate me percepturum esse fructus. Ex'co quoque tempore nil mihi magis in votis fuit, quam vt TIBI, amice suauissime aliquando, quanti TE faciam quantique TE aestimem publice testandi occasionem nanciscerer. Haec mihi contigit et quidem ea, quam saepius optaui. TVAM eruditionem multis hoc loco celebrare laudibus res est superuacua. Disputatio TVA, cuius auctorem omnes TE ipsum pronuntiant, et cuius ego ipse testis esse possum, amplas TIBI comparauit laudes, et ampliores TE eam strenue defensorum excipient. Quantum igitur ex TVO discessu breui infecuturo dolorem percipio, tanta adficio laetitia, eruditionis TVAE speciminibus cum aliis applaudendo, praemia TVAE diligentiae academicae in TE collata cognoscendi. Quamuis multas ad consuetudinem TVAM redeundi difficultates praeuideam, non tamen, amicitiam nostram in memoriam reuocare intermittam. Quod reliquum est, numen omnipotens precor, vt TE saluum incolumemque seruet, et omne, quod suscipis faustum fortunatumque esse iubeat. Vale et me amare perge. Dabam Ienae die XII. Iau.

MDCCLXXV.

F 2

VIRO



VIRO PRAENOBILISSIMO
DOCTORANDO DIGNISSIMO

AMICO SVO HONORATISSIMO

S. D. P.

GEORG. CAROL. ERNEST. NEUBAVER.

Quum per plures in Alma Ludouiciana annos, et postea in Celeberrima hacce Academia Ienensi, me studiorum TVORVM habueris comitem, summae atque indefessae diligentiae TVAE testem, discendi ardoris vt et progressuum, quos in studiis TVIS fecisti, admiratorem, ex iisdem maximam semper percepi laetitiam, studiorumque meorum incitamentum acque ac augmentum. Nunc vero Doctorales honores dignissima laborum TVORVM academicorum praemia, TIBI conferri, lactus quoque TIBI, et ex animo gratulor. Deus optimus maximus, a quo felicissimus rerum nostrarum successus atque euentus effigendus est, perpetuo TIBI adsit, labores consiliaque TVA dirigat, TVAEque omni felicitatis genere semper abundare iubeat! Me autem, quem singulari humanitate hucusque amare haud dedignatus es, vt et absentem benevolentia TVA in posterum prosequaris, etiam atque etiam rogo. Vale! D. Ienaë die

XXII. Dec. CIOIOCCCLXXIII.

MONSIEVR

MONSIEUR,

Je serois bien insensible à l'amitié que vous m'avez toujours portée; si je ne prenois beaucoup de part à l'honneur qui vous arrive; étant persuadé, que vous le mérites par la diligence avec laquelle vous vous êtes attaché aux sciences. Permettez donc, Monsieur, que je vous fasse publiquement paroître la joie qui m'en demeure, et que je vous en felicite du fond de mon coeur. Je vous prie, de me conserver votre bienveillance et de vous persuader, que je ferai toujours gloire d'être avec toutes sortes d'estime et d'amitié.

MONSIEUR

*voire très-humble et très-obéissant
Serviteur*

à Iene
ce 12. Janvier
1775.

JEAN AVGVSTE CHRETIEN HARTMANN
Etudiant en Droits de la ville d'Arnstadt.

VIRO CONSVLTATISSIMO AC DOCTISSIMO
HVIVS DISSERTATIONIS AVCTORI

AMICO SVO AESTVMATISSIMO.

S. P. D.

IOANNES PHILIPPVS ROOS

DHAVNENSIS I. C. ET SOCIETATIS TEVTONICAE, QVAE
HIC FLORET, SODALIS.

His viris grauissimis excellentissimisque TIBI ob summum in
iure honorem consequendum gratulantibus me etiam adiungo,
minime



minime TE dignum huius gradus praedicaturus, nam notior est inter omnes, qui TE norunt, exceptis iis, qui morbo, ut vulgo dicitur, charlanteriae laborant, eruditio et soliditas TVA, quam quae a me laudari opus habeat sed potius officii mei esse duxi, TIBI, vir excellentissime, iam publice pro TVA in me collata amicitia gratias referre maximas, et de reliquo te nunc ad domum reuertentem rogare, ut illam mihi valde eam aestimanti conferres, TIBI que persuadeas, me idquod ad benevolentiam TVAM conseruandam et augendam, quantum in me est, semper suscepturum esse. Redeas igitur feliciter ad patrios lares, splendidissimam TVAM familiam summo gaudio adfecturus, proficiscaris prospere Wezlariam, ibi Themidis sacrae ministerium grauem TE praebiturus. Dabam Ienae d. XII. Ianuarii

CIOIOCCCLXXV.



Zeua, Diss., 1775-77


ULB Halle
004 216 229

3



W 78





F. 5. num. 6.

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
SVCCESIONE IN FEVDVM
FILIIS
PER SVBSEQVENS MATRIMONIVM
LEGITIMATIS
HAVD DENEGANDA

1475, 3
4

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, REL.
EX INCLYTAE FACVLTATIS IVRIDICAE
DECRETO
PRAESIDE
IOACH. ERDMANN SCHMIDT D.
IVRIS PVBLICI ET FEVDALIS NEC NON HISTORIARVM PRO-
FESSORE PVBLICO ORDINARIO, CONSILIARIO IVSTITIAE
INTIMO SAXO GOTHANO
FAVTORE ET PATRONO SVO PIE COLENDO
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQVENDIS
DIE XIV. IAN. ANNO MDCCCXLV.
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI
SVBMITTIT
AVCTOR
IO. LVDOVICVS IVSTVS GREINEISEN
WEZLARIENSIS.

IENAE
EX OFFICINA STRAVSSII.

